



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,  
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac  
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de  
Liesse dictam effulsere**

**Caoult, Walrand**

**Coloniae Agrippinae, 1607**

Quidam graüter sauciatus miraculosè sanatur, voto beatæ virgini facto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

Magistro Nicasio Pezeo Officiali cum alijs  
 primarijs viris de capitulo, nec non & dictæ  
 ciuitatis Laudunensis compluribus ciuibus.  
 Ad eiusdem autem Episcopi petitionem the-  
 atrum quoddam in primaria ecclesiæ nau e-  
 rectum fuit: super quo multis exorcismis præ-  
 ijs tres residui dæmones non sine grandi in-  
 dustria & labore dicti reuerendissimi Episco-  
 pi, boni tunc pastoris fungentis officio (con-  
 currentibus cum in finem pijs piorum homi-  
 num suffragijs ac precibus Domino Deo ac  
 B. Mariæ Exhilaratrici piè effusis) fugati sunt:  
 prout ex historia per Ioannem Ouleziū Pres-  
 byterum, Hæbraicarumque conscripta pleni-  
 us videre licet.

*QVIDAM GRAVITER SAVCI-*  
*atus miraculosè sanatur, voto Beatæ*  
*Virginis facto.*

MIRAC. VII.

**A**Nno supra millesimum quingentesi-  
 mo septuagesimo nono, Dominica  
 prima quadragesimæ, iuuenis quidam annos  
 natus quatuordecim, cui Ioannes Poirierius  
 nomen erat, Montis Therici incola, ita graui-  
 ter in capite sagitta percussus est, vt vulnus in-  
 ipsum ad cerebrum vsque pertingeret, imò ve-  
 rò ipsius cerebri interiora penetraret. Verùm  
 simul-

simulatque se vulneratum agnouit, ad Deum beatamque Mariam Exhilaratricem pijs precibus confugit, dictæ Ecclesiæ se deuouens peregrinum, simulque eodem voto promittens se ibidem venturum gestando præ manibus vnus pondo cercum. Voto autem hoc per ipsum emisso, expertus est aliquid in suo vulnere solaminis, modicoque temporis spacio interiecto, plenè sanitati est restitutus. In tanti verò accepti beneficij gratam memoriam & gratiarum actionem votum emissum impiger soluit, simulque iuridicum testimonium è magistratu loci accepit, quod secum deportauit vnà cum capite quodam ligneo sagitta transfixo, dicti miraculi commemoratiuo: quod in suprâ dictâ ecclesia B. Mariæ Exhilaratricis etiamnum visitur.

*ALIVS A MORBO PESTIFERO  
liberatur, voto eius nomine per alios  
B. Virgini emisso.*

MIRAC. VIII.

**A**Nno supra millesimum quingentesimo octuagesimo secundo grassante ac multum sauiente peste in pago Bayo in Tiracia sito iuxta Abbatiam Bourfontaine nuncupatam, eiusdem Abbatix religiosus quidam, cui nomē Frater Antonius Hutinus,

N 5 sacer.